



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

22. De eiusdem zeli actibus externis piè exercendis incitamentis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

re passionis pro omnibus orans, & se
in sacrificium placationis offerens.
Feruor imitandi in crebra & pia reno-
uatione prædictorum affectuum.

*De zeli actibus externis piè exercen- XXII.
dis, & Incitamentis.*

I. **E**Xpende quo pacto præcipui ad-
ctus externi zeli sint perfectè ex-
ercendi, qui sunt 1. Conari omni ob-
lata occasione promouere diuinam
gloriam, cultum, obsequium, proxi-
morumque salutem, & in omni per-
fectione profectum verbo, exemplo,
consilio, & auxilio. 2. Conari impe-
dire & amoliri omnia, quæ cedunt in
iniuriam Creatoris, & iacturam pro-
ximorum perfectionis ac salutis, pec-
cata aliorum commissa lacrymis & vo-
luntarijs satisfactionibus in se expian-
do, committenda præpediendo, ad se-
riam pœnitentiam lapsos exstimulan-
do. 3. Nullos labores recusare, nullas
difficultates subterfugere, nulla peri-
cula horrere in gloria Dei, & proxi-
morum salute promouenda. Ad hos
piè perfectèque frequentandos opus
est 1. vt nunquam ex arida consuetu-
dine, sed cum pia subinde ruminatio-
ne, aut infinitæ Dei excellentiæ, aut

Fff 5

præ-

præstantiæ animarum, aut inæstimabilis Dei erga easdem dilectionis, & cum affectuosa interiorum zeli affectuum renouatione exerceantur. 2. Ut heroica desideria supra vires Deum glorificandi, animasq; iuuandi superaddantur. 3. Ut debita cum attentione, promptitudine & contentione omnium virium mentis & corporis ministeria, & media ad diuinum obsequium, & animarum auxilium idonea, vti sunt concionari, cōfessiones audire, docere rudes, monere errantes, iuxta gratiam vocationis cuiusque, adhibeantur. In quantum cresceret multorum in vinea Domini laborantium meritum, si cum tali perfectione facere satagerent ea, quæ quotidie faciunt ad diuinum obsequium! Feruor perfecte actiones zeli externas frequentandi.

H. Quanta cum perfectione plurimi viri, Apostolico spiritu pleni, hos externos zeli actus frequentarint, & cōsuetæ Dei gloriam & animarum salutē promouēdi ministeria obierint, & media cuiusq; statui congrua vsurparint; quanto perfectius supra hos omnes B. Virgo, Regina Doctorum, & zelosorum omnium zelosissima se in his exercuerit; quanto tandem interuallo subli-

mius.

mius is, de quo scriptum : *Zelus domus tua comedit me.* & quidē tota vita, maxime duodennis Doctores audiens & interrogans; è templo vendentes & ementes eiciens; biennio prædicans; ad passionem properans; in cruce sitio exclamans. Desiderium tam perfectum zelum reipsa imitandi.

III. Incitamenta, uti sunt, 1. quod verus zelator mirè Deum sibi devinciat, & quodāmodo cogat ad vberiora charismata sibi impertienda, quibus tantō strenuè utitur ad eius gloriam, salutemq; animarum, quas tam tenerè diligit, latius propagandam, ut patet in D. Paulo, alijsq; Apostolis, & viris Apostolicis. 2. Quod valdè quoq; sibi demereatur sanctos Angelos, quorum officium imitatur in eorum clientibus purgandis, illuminandis, perficiendis. 3. Quod non solum ingens gratiæ & gloriæ essentialis mereatur incrementum, sed ineffabile insuper accidentale gaudium, de tanta gloria tot hominum ab æterno interitu ope sua vindicatorum, æternum Deo laudes cum Beatis omnibus concipientium. Feruor proficiendi in actibus zeli internis externisque perfectius frequentandis.